



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 40. Bulla Facultati congregatæ a Toletō exhibita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](#)

Sæcul. XVI. „logiæ requirendum censuit, ut pro-  
A.C. 1580. „pria confessione eam se reverenter ac-  
 „cipere fateantur, eique se subjecturos  
 „promittant“

His dictis Toletus protulit Bullam  
 Gregorii XIII, de qua dixerat, ejus-  
 que inspiciendi facultatem cunctis præ-  
 bens, Magistris, ac Professoribus, ut  
 desuper deliberarent, injunxit: hoc fa-  
 cto addebat, se in hoc a sua Sanctitate  
 per maxima itineris pericula non sine  
 gravissimis sumptibus, & expensis mis-  
 sum fuisse, ut mox proposita exequere-  
 tur, atque ad effectum perduceret: igi-  
 tur a se optari inquiebat, ut a Facul-  
 tate certus dies, & hora indicetur, qua  
 omnes tum Professores, tum Licentiati,  
 & Baccalaurei, ceterique S. Theologiae  
 studiosi ad scholas Theologicas convo-  
 carentur, quatenus ea, quæ in man-  
 datis habebat, exequeretur.

§. XL.

*Bulla Facultati congregatæ a Toleto  
 exhibita.*

Postea Bajus paucis verbis suam apo-  
 logiam reiteravit, eoque recedente  
 Decanus Facultatis nomine suæ Sancti-  
 tati pro paterna erga suam filiam cha-  
 ritate, & sollicitudine gratias egit:  
 quod autem ad Bullam ejus attinet, eam  
 se gratissime, & obedientissime, uti par-  
 est,

est, recipere, & amplecti respondit, **Sæcul. XVI.**  
oravitque, ne Papa sinistram aliquam **A.C. 1580.**  
de ipsa suspicionem concipere velit, ne-  
ve sibi persuadeat aliam ei unquam  
mentem, & voluntatem fuisse erga  
Bullam Pii V. quin & illam semper re-  
verenter habuerit, eique in omnibus  
paruerit.

Hanc in rem constituebat pro Fa-  
cultatis confessu vigesima prima Martii  
dies, horaque decima ante meridiem,  
in quod tempus ex mandato Facultatis  
jussit Decanus per bedellum omnes, &  
singulos Facultatis Doctores, pleros-  
que Licentiatos, Baccalaureos, & quot-  
quot supererant, Collegiorum bursarios  
sub juramento convenire, quibus ibi-  
dem frequentissimo numero congrega-  
tis, ingressus est Toletus, comitantibus  
eum honoris caussa Bajo Cancellario,  
Goudano, & Henrico Gravio: consen-  
sa autem cathedra cum eadem fere nar-  
rasset, quæ prius ante biduum co-  
ram Facultatis Professoribus dixerat,  
Conrado Sylvio Universitatis Notario  
publico, qui ad hoc ibi vocatus ade-  
rat, injunxit, ut recitaret literas pri-  
mum testimoniales ad S. Theologæ  
Doctores datas, & deinde ipsam novam  
Pontificis Bullam clara voce, ut ab  
omnibus intelligi posset.